



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Basilea Sepulta Retecta Continuata. Hoc est: Tam Urbis
quàm Agri Basileensis Monumenta Sepulchralia,
Templorum Omnium, Curiae, Academiae, Aliarumque
Aedium Publicarum Latinae Et Germanicae ...**

Groß, Johann Georg

Basileae, 1661

Johannis Grossii Præfatio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13049



JOHANNIS GROSSII

P R A E F A T I O

A D L E C T O R E M.

RURUM hodiè reperiuntur, qui nihil agentes aut scribentes, vel ex ignavia talentum suum cum fœnoris jactura defodiunt, vel ex superbia pro doctis haberi volunt: & econtrà alios de rebus honestis cum utilitate conjunctis cogitantes exagitant, omniaque contemptui habent. Verum enim verò, istis benè morosis, & malè moratis idem, quod τῆ καχεξία laborantibus evenit: quibus vel aspectus cibi salutaris nauseam movet. Mentis enim καχεξία laborare tales rectè dixeris; quos etiam (quod malum oritur inde) oris sui fœtore, h. e. maledicà & virulentà linguâ aliis molestos esse deprehendes. Quod mihi, Monumenta, Patriæ imprimis, colligenti fortè sperandum est. Et si enim *charitas malum non cogitet*, 1. Cor. 13. ac forsan hostem ex hospite faciam: sapè tamen, præter votum, non autem præter fatum, eventus respondere solet. Quid igitur? num mittenda & omittenda, quæ istorum palato corrupto non arident? ac non potiùs opera danda, ut utilia, quæ cum voluptate quoque conjuncta sunt, adversùs absurdum illorum judicium sarta tecta conserventur? Ut ergo tela prævisa minùs feriunt, ita nunc priùs audiri cupio, ut meliora edocti isti, mihi (& sibi quoque) negotium facessere desinant. Nam hîc bonorum Sepulturæ: Monumenta venerandæ antiquitatis: pietatis & virtutis Exempla: aliaque ἀξιωματικὰ βιβλία describuntur, & recensentur.

Sepultura inquam bonorum, de quibus imprimis, nunc tecum, candide Lector, differam, ut mecum, quod spero, fateri necesse habeas, ταφολογίαν hanc (si ita loqui licet) multis de rebus scitu dignissimis nos admonere. Et primò quidem, Sepulturarum autorem primum Deum esse (à quo omne bonum donum) notum est. Is enim hominem ex terra desumptum in terram redire vult. Gen. 3. Psal. 90. Ac licèt ista homini pœna propter peccatum inflicta sit, ut in humum revertatur: sub illa tamen hoc latuit Dei beneficium: ut homo terræ, tanquam matris suæ gremio, commendetur. Unde Deus, Pater clementissimus, non tantùm Abrahamo promisit, quod

in pace

A D L E C T O R E M.

in pace ad patres suos venturus sit, Gen. 15. sed ipse quoque fidum in tota domo sua servum Moſen ſepelivit. Deuter. 34. Quæ ſanè cauſa fuit, ut omnibus ferè temporibus honeſta ſepultura ratio habita ſit non minima. Abraham enim non tantùm pro defuncta Sarah, ſed etiam pro ſe & poſteris emiffundum à filiis Heth ad ſepulturam. Gen. 23. Et Jacob in Ægypto moriturus petit, *ut aggregetur ad populum ſuum, &c.* Gen. 49. Etſi verò ſingulari de cauſa Deus Patribus illam conceſſerit ſepulturam; valde tamen generalis eſt Dei gratia erga homines, quibus recipiendis terræ totius gremium exponit. Quod poſtea apud Ethnicos religioſas fecit ſepulturas. Nam nulla propè tam efferata gens eſt, quæ non ſenſerit habendam ſepultura rationem, ut exemplorum inductione facilè probari poſſet. Tanto verò in precio illa fuit, ut ne hoſti quidem fuerit denegata. Memoria enim proditum eſt, Cn. Pompejum Magnum ex Armenia reverſum, prædamque diviſurum, corpus Mithridatis Regis à Pharnace filio interfectum, ſtatim in monumentis Majorum ſepeliri juſſiſſe, ne parum pius in hoſtis corpus defuncti fuiſſe videretur. Iſtam pietatem declaravit, Urſpergenſi teſte, Henricus IV. Imp. erga Rodolphum Suevum, quem ritu Regio ſepeliri voluit. Et cùm id agrè ferrent quidam, dicentes, non decere hoſtem Imperatoris ita honorari mortuum; reſpondit Imperator: *Sinite eum Regis inſignibus ornatum ſepeliri: utinam omnes mei adverſarii hoc ornatu ſepulti jacerent!* Pauci tamen hinc excipiendi ſunt Barbari, qui, cùm belluino propè ritu inter ſe degant, nihil mirum, ſi aliorum veſtigiiſ nequaquam inſiſtant; ſed ſepulturam, tam ſuam, quàm aliorum negligant. Suam, ut refert Stobæus, neglexit Diogenes Philoſophus verè Cynicus; inhumatum enim ſe projici juſſit. Jaſon ille impius inſepultos abjecerat multos, 2. Mach. 2. Quid nunc dicendum erit de iis, qui ne quidem ſepulturis honeſtis parcunt, ſed eas impiè violare audent? Quod olim in expiabile ſcelus creditum eſt: ut diceretur minxiſſe in patrios cineres, cui omnia ſiniſtrè cadebant. Latrones jurè vocaveris iſtos; in domicilia enim dormientium irruunt: & quos ipſa natura in terræ gremio quieteſcere voluit, eidem eripere non verentur. Tale quid legitur apud Herodot. lib. 3. de Cambyſe, qui Amasim defunctum præter meritum ſepulcro eruit, & tanquam viveret, verberibus cædi, acutiſque ſerramentis totum pungi, ac deinde in foro comburi fecit. Iſtius Cambyſis veſtigia ſtudioſè excepit Stephanus P. V. I. referente Fulgoſo lib. 9. c. 3. Is enim Formoſum Pontificem mortuum effodi juſſit, & ab ciſſis digitiſ manuum, piſcibus devorandum in amnem abjecit. Sic Martinus Bucerus & Paulus Fagiſ ante

):():(

P R Æ F A T I O

non idèd vel minùs integra, vel minùs gloriosa in eorum resurrectione futura. Nam, ut ait Apostolus, *seminatur corpus corruptioni obnoxium, excitabitur tamen incorruptum: seminatur ignominiosum, excitabitur verò gloriosum.* 1. Cor. 15. Simile quid dixit Poëta ad Tyrannum:

*Nil agis hac irâ, tabésne cadavera solvar,
An rogas? haud refert: placido natura receptat
Cunçta sinu. ——— Et post:*

*Capit omnia tellus,
Que genuit: cælo regitur, qui non habet urnam.*

Nec idèd tamen contemnenda & abjicienda sunt corpora defunctorum, ut antè dictum, maximè fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bõna opera Spiritus S. usus est. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid hujusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes major affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multò familiariùs atq; conjunctiùs, quàm qualibet indumenta, gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinsecùs, sed ad ipsam naturam hominis pertinent.

Hic autem nihil attinet dicere de variis ritibus in sepulturis adhiberi solitis, ubi Patres fideles plangebant: Massilienses sine luctu quidem, sed non sine conviviorum luxu mortuos sepeliebant: Græci defunctorum corpora 17. dies servabant, deinde cremabant, ad principium tuum, ignem scilicet, reditura putantes: Parthi honestissimam sepulturam vulgò avium & canum laniatus esse dicebant. Nos Christiani imitamur majori ex parte Patres fideles, &c. Sed, ut dixi, nihil attinet multùm de istis disserere, nobis potiùs hic cavendus est luxus, qualis olim fuit apud Romanos ac Græcos, &c. Qui tamen hodiè apud multos, eos etiam sic invaluit, (prout omnia *cu' àncip' constituta sunt*) ut in locum Idolorum à se Templis ejectorum, Idola sua, h. e. Monumenta, magnà cum superstitione substituunt, quibus admirationi esse, tantùm non adorari volunt. Inde tantos in exornandis tumulis suis lapideis fœtore replendis sumtus faciunt, quantos per vitæ dies minimè facerent, non dico in exornandis, sed vestiendis saltem pauperibus piis, qui sunt *vivi lapides Domûs Dei*, quæ esset *οὐκ ἐν εὐαδίας θύλα δειρῆ εὐάδες θ. τῶ θ. σῶ. Phi-lipp. 4.* Certè ipsis etiam Ethnicis invisus fuit sepulcrorum luxus: commemorat enim Cicero, 2. de Legib. Sepulcrum apud Romanos lege cautum fuisse, *ne ampliori opere excitaretur sepulcrum, quàm quod tribus vel quinç, diebas absolveretur: nec majori lapide, quàm qui laudes sepultri & titulos honorum*

accipe

A D L E C T O R E M.

acciperet. Legimus etiam, Cyrum apud Xenophon. lib 8. de Cyri pæd. sic à faustu sepulturæ abhorruisse, ut in hunc modum alloqueretur filios: *Meum corpus, ô charissimi filii, cum moriar, neq; in auro condite, neq; in argento, neq; in alia re prorsus nulla, sed illud terra reddite quamprimum. Quid enim hac re beatius, quam terra misceri, quæ pulcra & bona omnia gignit & nutrit.* Laudatissimus etiam heros ille Carolus Magnus Aquisgrani sepultus est absque omni pompa; in d, quo in loco, nescitur. Ac memoratu dignum est exemplum Guilielmi Budæi Cancellarii Parisiens. qui abdicatis prius testamento omnibus prorsus funeris & tumuli honoribus, noctu tumulari voluit.

Quod si igitur isti, qui optimè de bono publico meriti sunt, adeò alieni fuerunt ab ejusmodi saxeis vel terreis honoribus: alieniores ab istis privatos esse debere nemo ambiget. Itaque, ut Pontanus c. 10. de Magnific. ait, Licinius ille vir quidem ditissimus, sed Tonsor conditione, cum sepulcrum magnis sumptibus & gravissimis impensis sibi fieri voluisset, nihil ea ætas indignius judicabat, quam hominem ignobilem jacere tam regiè. Quæ rei indignitas justam Poëtæ indignationem expressit:

*Marmore Licinius tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo. Credimus esse Deos?*

Itaque etiam hac in re τὸ πείρωσ observetur, juxta sapientis Syrac. 38. præceptum: *Pro ratione mortui circumtege corpus ejus.*

Sed, quod maximè præcipuum est, quod etiam oratio nostra intendit, ad quænam finem sepulturæ destinata sint, probè attendendum est. Piè profectò sepulturæ dicuntur κοιμητήρια, Dormitoria, in quibus corpora piorum dormiendo requiescunt, & expectant diem illum Domini, quo resuscitantur voce Filii DEL, Joh. 5. 1. Thes. 4. Unde mors piorum est somnus, quem mortis fratrem etiam Ethnici dixerunt. Diogenes enim à lethali somno experrectus ait: *Frater fratrem amplectitur.* Requiescunt autem pii in sepulcris à laboribus suis, Apoc. 14. Itaq; sic lugenda est illorum mors, ut tamen iis somnum & quietem ex animo gratulemur, ac simul spem resuscitationis concipiamus, 1. Thes. 4. Hacque causa est, ut mortui non tantum sepeliantur, sed sepulti lapidibus muniantur. Eo enim innuitur, in futurum recondi; nam quorum nullus amplius est usus, ea negliguntur & projiciuntur. Corpora verò mortuorum non projiciuntur, sed studiosè conduntur. Residuam igitur spem restitutionis esse patet: ideoq; impositis lapidibus cavetur, ne qua illis injuria vel à bestiis, vel à pravis hominibus inferatur.

Ab ista salutari sepulturæ meditatione non longè abfuerunt Ethnici.

P R Æ F A T I O

Nam etsi promissionum divinarum obliti abjectis primorum Patrum doctrinâ & sententiis, suo sibi iudicio relictâ Religionem excogitarint; remanserunt tamen quædam *κατὰ τὴν ἐνοσίχθων*, quibus tanquam stimulis incitabantur, ut vel opinionem, vel cupiditatem aliquam immortalitatis retinuerint; ita quidem, ut non tantum nominis & famæ, sed etiam animi perpetuitatem sibi pollicerentur. Inde Poëta:

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu

Exit: nam volito vivu' per ora virum.

Q. D. (Cic. interprete) Non esse lugendam mortem, quam immortalitas consequatur. Quum igitur *justus* (teste S. S.) *in perpetua sit memoria*, Psal. 112. *eaq; sit benedicta*: Prov. 12. ipsa rei æquitas postulat, ut illa qualicumq; sepulturæ subsidio conservetur. Quod enim corporis humani in cinerem vertendi imbecillitas non patitur, ut litera sepulturæ refarcire potest, ut sit quoddam brevitatis & fugacitatis vitæ quasi sustentaculum & remedium: solatium luctûs ingētis exiguum: & eorum, qui rebus humanis exempti essent, vitæ, virtutis, & honestæ mortis ad omnem posteritatem illustria monumenta, qualia antiquissima Patrum exempla, Abrahæ scil. Josephi, Josuæ, Eleazaris, Samsonis, Salomonis, ac omnium deinceps Israëlitarum Regum, & plerorumque Prophetarum ad ipsum usque Christi Servatoris adventum conservata sepulcra fuisse, Sacra testantur literæ.

Quisquis igitur boni viri aut virtutis æmulus est, monumentis ejusmodi non tantum se oblectabit, sed *κατὰ τὴν ἐνοσίχθων*, non Pythagoricam quidem ipsius spiritûs, sed Christianam virtutis desiderabit, dabitq; operam, ut ipse quoq; proximi adificatione impulsus virtutem post se heredem relinquat. Non enim laudandi sunt severi illi & agrestes homines, qui subinde de contemnenda gloria omni disputant, unâ viâ linquentes eam, alterâ autem obliquâ sectantes. Vita certè beata non in arida steriliq; virtutis imagine, sed in nobilium operum æmulatione ad perennem nominis gloriam posita est. Equidem nihil faciendum *κατὰ τὴν ἐνοσίχθων*, Philipp. 2. sed tamen *quæcumq; boni sunt nominis, si qua est virtus, & si qua laus est, hæc cogitanda* præcipit Apostolus, Philipp. 4.

Nec obest exemplum Moïsis, Deut. 34. quem Deus iose sedelivit, ejusq; sepulcrum ignotum esse voluit cunctis hominibus. Nam inde non sequitur, sepulturæ honestam rationem habendam non esse: quia in alium finem Deus illam occultarat: nimirum ne tanti Prophetæ admiratione abrepti posterius ad ipsius Monumentum peregrinationes susciperent, & hinc Idolo-

latriæ

A D L E C T O R E M.

latriæ præberetur occasio. Quid enim acciderit in Serpente æneo, cum ei temporibus Ezechia suffitus adoleretur notum est ex 2. Reg. 18. Jam verò quid cum corpore Mosis futurum fuisset, nemo est qui non intelligat. Satan enim hîc in seducendis Israëlitis non defuisset suis partibus; qui ideò super corpore Mosis fremuit, indignatus est, altercatus est adversus Michaëlem Archangelum, &c. Judæ v. 9.

Et hæc quidem satis prolixè, utiliter tamen, spero, de sepulturæ origine, de sepeliendis, de ritibus & modo, deq; sine illius adeoq; utilitate ἀφ' αὐτῶν dicere visum est.

Quorum accuratior consideratio me permovit, ut & Patriæ Monumenta, Basileensia inquam, (quibus me sapius sic oblectavi, ut de multis salutaribus & necessariis me admonitum fuisse ingenuè profitear,) in unum quasi fasciculum omnia collecta esse sapius optarim, quò faciliùs quis privatim ea, quæ vel penè detrita, vel ab imbecilli visu remota ἀνα, νῦν non admittūt, descripta aut excusa admitterent faciliùs. Quâ in parte Rev. D.M. Simon Grunæus Ecclesiæ Görlicensis Minister, ante XX. annos operæ pretium præstitit, & pauca selectiora (prout ferebat ejus propositum) Monumenta Basiliensia propiùs inspicienda exhibuit. Verùm, cum plurima alia ἀξιωματικὰ τῆς πόλεως tam antiqua, quàm nova à plurimis (inter quos erat Typographus Acad. nostræ, qui tale quid, me quidem incio, in animo habebat) desiderari animadverterem: nec labori, nec molestiæ cedens, hinc inde illa congesi: & secundùm Templâ Ecclesiæ Basiliensis digessi: quibus Germanica nonnulla ingessi; non quidem literatis, bonis tamen erecta; in quibus singularia Dei dona, sive familiæ splendorem, sive virtutis κερδοπέποιτα respicias: & mirabiles rerum eventus observandi veniunt. Sciendum autem, quædam Epitaphia, partim injuriâ temporis, partim incuriâ hominum non amplius quidem extare; quæ tamen nitore suo, saltem per typos restituenda putavi. Præstat enim aliquam illorum, quàm verò nullam fieri mentionem. Quâ in parte Clarissimo D. Christiano Urstisio multum debetur, qui illa tum ex instrumentis, tum aliis subsidiis postliminii quasi jure revocavit. Hisce alias Urbis Inscriptiones elegantiores, quæ nos de rebus magni momenti admonent, aut saltem lectu injucunde non sunt, adjeci.

Cæterùm, quibus ista exigua & ridicula, si cum Romanorum, Græcorum aut aliorum Monumentis conferantur, videntur: abeant, quod per me licet, oblectaturi se in peregrinis; & negligant, quæ in Patria gesta sunt, sicque sunt ingrati in Patriam, & in Deum quoque: nobis autem Patriæ ob-

lecta-

P R Æ F. A D L E C T O R E M.

lectamenta atque curam relinquunt; multò enim utilius est, ea, quæ domi geruntur, scire, quàm de iis, quæ foris fiunt, sollicitum esse. Quia verò non inutile est, quid & alii agant, quod vel imitemur, vel caveamus, propè cognoscere: en tàm Epitaphiorum, quàm Inscriptionum Patriæ, Auctarium, selectissimis (copia enim fastidium parit) exterorum Monumentis refer- tum tibi, Lector benevole, exhibeo.

Quæ omnia, si eo, quo tibi offeruntur, animo acceperis, Deumque ti- mere, pios autem sic imitari didiceris, ut & memoria tua in his terris, in pri- mis autem in cælo (in quo piorum nomina scripta manent, Luc. 10.) vige- at: curæ & laboris me non pœnitebit, sed potius DEO pro te gratias agam. Quem oro porrò, nobis omnibus det, ut *sepulti cum Christo resurgamus ad vitæ novitatem*: & ut alii vitæ suæ acta & *καλοπρόμακτα* saxo incidi curant, sic nos cum Jobo stylo quasi ferreo atque plumbo in perpetuum in rupe cordis nostri hocce preciosissimum incidamus *μνημείον*: Equidem ego novi vivere Re- demtorem meum. Qui est Dominus noster JESUS CHRISTUS, supra omnes laudandus DEUS in secula, Amen.

NATHAN CHYTRÆUS.

*Quid nisi fœtor homo est? fœtores inter in alvo
Gignitur & latitat, tener è fœtente favissa
Eruitur fœtens, rotius tempore vitæ
Sese intra fœtet, fœtores ejicit ex se.
Corpus inane animæ tandem fœtore maligno
A se abigit cunctos, & cum fœtore sepulcro
Fœtenti infertur. Quæso, unde superbia tanta
Nos inflat? tanto cur cum torpore geluque
Cœlestem patriam expertem fœtoris avemus?*

